MASTER NEGATIVE
NO. 93-81518-7

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BRAUN, FRIEDRICH

TITLE:

DE PETRI ABAELARDI ETHICA

PLACE:

MARPURGI CATTORUM

DATE:

1852

Master Negative #
93-81518-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/24/93 INITIALS BE
FILMED BY: Research Publishing


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

UNIVERSITY LIBRARY

DE

PETRI ABAELARDI

ETHICA

DISSERTATIO INAUGURALIS

PHILOSOPHICO-CRITICA,

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM

MARBURGENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

ADIPISCENDOS

EDIDIT

FRIDERICUS BRAUN,

THEOLOGIAE CANDIDATUS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCLII.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

Corrigenda.

Pag. 4. l. 18. l. fait pro fuit.
„ 8. l. 18. l. poenitentia pro poenitantia.
„ 12. l. 1. leg. definitionis pro definitinis.
„ 14. l. 19. l. committi pro commiti.
„ 15. In annot. l. 6. l. *μισεῖ* pro *μισῖε*.
„ 17. In annot. l. 2. l. וּמֵת pro וּמת, אַחַד pro אַהַד, וּבֵן pro וּבֵן; l. 4. עָלֶיהָ pro עָלֹיהָ; l. 6. מִיַּד pro מִיד, הַמּוֹאֲבִיָּה pro הַמּוּאֵבִיָּה; l. 7. נַחֲלָתוֹ pro נַחֵלָתוֹ; l. 11. הֵן־בְּעָווֹ חוֹלָלְתִּי pro חֵו־בְּעָוֹ הוֹלָלְתִּי; יֶחֱמַתְנִי pro יֶחֱמַתְנִי; l. 16. תַּחְמֹד pro תַּחְמֹד
„ 20. In annot. l. 6. l. *σὺν τῷ* pro *σύν τῳ*.
„ 21. l. 3. l. commiserunt pro commisserunt.
„ 21. l. 19. l. orat pro erat.
„ 23. l. 7. l. adeoque pro adeoquo.
„ 24. l. 1. l. peccato pro peccata.
„ 29. In annot. l. 2. l. pas pro par.
„ 29. In annot. l. 3. l. condamnée pro condammée.
„ 32. l. 8. l. videmus pro videmns.

249568

Introductio.

1.

Utimur in opere nostro Petri Abaelardi scripto, cui titulus est: „Ethica, seu liber dictus: Scito te ipsum“, quod apud Bernardum Pezium, Benedictinum, in „thesauro anecdotorum novissimo“ invenitur, quodque hic e membranaceo codice monasterii Emmerammensis, qui sexcentorum circiter annorum sit[1]), in lucem se edidisse dicit[2]). Quod attinet ad ejus auctoritatem, dubitatum est recentiori tempore, utrum hic liber ab Abaelardo, ad quem refertur, conscriptus sit, necne. Breviter de eo dijudicans neque caussam opinionis suae afferens Schlosserus[3]) in libro inscripto: „Abälard und Dulcin“ dicit, scriptum nostrum (Pez. III. p. 626 seq.) illam ethicam esse non posse, quam Abaelardus in commentario[4]) in epistolam Pauli ad Romanos afferat, ubi id incertum restat, utrum Schlosserus scriptum nostrum ab Abaelardo quidem esse, sed non illud

1) Pez. diss. isag. in tom. III. p. XX.
2) Pez. thes. anecd. nov. Tom. III. p. 626. Aug. Vind. 1721.
3) Abäl. u. Dulcin v. Schlosser. Goth. 1807. p. 119.
4) op. Ab. l. c.

esse putet, de quo Abaelardus commemorato loco loquatur, an id omnino non Abaelardo originem debere velit. Mihi ethicam nostram omnino non Abaelardi esse dicere voluisse videtur, sed similiter atque Orelli de epistolarum inter Abaelardum et Heloissam scriptarum auctoritate dubitat, argumentis non allatis opinionem suam modo profert. Frerichs quosdam esse dicit, qui ethicam nostram ab Abaelardo conscriptam esse dubitent, sed has opiniones ipse hisce verbis refellit: „mea quidem opinione perperam“ [1]). Auctor historiae literariae Franciae [2]) auctoritatem nostrae ethicae approbans sic dicit: „Le traité de morale intitulé: Scito te ipsum, Connois-toi toi-même, succéda de près à la théologie chrétienne, qui s'y trouve citée etc.“, quod fit apud Pezium III. p. 673. c. XXIII, et annotat ille ejus locum apud Pezium in margine. Memoratu dignum est, quod alio loco, ubi auctor de operibus nondum typis impressis agit, traditur [3]): „Le traité philosophique de morale ayant pour titre: Petri Abaelardi Ethica, fuit partie des manuscrits de Thomas Gale Anglois. Il est divisé en deux livres, dont un fragment du second se trouve dans les manuscrits d'Antoine Wood“. Secundum hoc aliam adhuc quam nostram ethicam in manuscripto exstare constat, quamdiu vero ad eam examinandam accedere nobis non licet, nihil certi de ejus auctoritate et indole praesumere possumus. Quodsi in duos libros divisa est, eam majus opus esse quam nostram oportet, quae contra suspicionem, esse fragmentum, defendi non potest. Fortasse nostra fragmentum illius est, vel quod magis veresimile videtur, prima ethicae lineamenta continet, e quibus postea illa

1) Frerichs com. th. cr. de P. Abael. doctr. dogm. et mor. Jen. 1827.

2) Histoire litér. de France T. XII. p. 126, XX.

3) ib. p. 130, VIII.

magis elaborata duosque in libros divisa oriebatur. Argumentum hujus conjecturae est, quod ethica nostra secundum res tractatas in duos libros dividi potest, in doctrinam de peccato et de peccatorum reconciliatione, quarum partium altera p. 663. c. XVII. incipit, ita ut nihil aliud necessarium fuerit, quam ut materia magis formaliter divideretur singulaque uberius explanarentur. Accedit, quod haec ratio scribendi et elaborandi Abaelardo non ignota fuit, nam eodem modo „introductio ad theologiam“ est orta ejusque loco postea elaborata [1]) „theologia christiana“. Praeterea statuere non licet, ethicae nostrae conclusionem veram scripti conclusionem esse, sive Abaelardus ipse opus non finierit et in altera ethica potius explanaverit, sive Codex Emmerammensis tantumdem modo ejus continuerit. Quomodocunque autem hoc se habet, scriptum, quod apud B. Pezium invenimus, juste Abaelardo tribui certum est, idque interna et externa argumenta demonstrant. Ad interna spectat, quod eadem indoles eademque scribendi ratio et in ethica nostra et in aliis Abaelardi scriptis, quae sine dubio ejus sunt, invenitur, qua de caussa illa alium auctorem habere non potest, quam theologia epistolaeque. Nam non modo universalem dijudicandi scribendique rationem eandem, quam in aliis operibus esse, sed etiam singulas voces technicas in diversis scriptis inter se congruere constat, idemque de stili elocutione valet, quae bona latinitate facile cognosci possit. Praeterea memoratu digna consensio inter ethicae caput XV. et problema [2]) quoddam Heloissae et solutionem Abaelardi invenitur. Ad externa argumenta vero pertinet, quod theologia christiana [3]) in ethica nostra [4])

1) Cf. Neander: D. h. Bernhard.

2) Ab. op. ed. V. Cousin T. I. p. 288 s.

3) Rém. putat, Abaelardum hoc loco introductionem in theologiam, non theologiam christianam citare.

4) Eth. p. 673.

et ethica nostra in commentario in epistolam Pauli ad Romanos [1]) et titulus scripti a Bernardo Claraevallensis monasterii abbate citetur [2]).

2.

Ethicam nostram fragmentum esse jam supra commemoravimus [3]); quippe quod non intelligatur, cur Abaelardus eo loco, ubi de poenitentia agit, non uberius tertiam ejus partem, satisfactionem, tractet. Commemorat et definit quidem eam, sed sparsim tantum, ubi de confessione agit, neque vero ut parte peculiari eam tractat, quae ei sic, ut confessioni, erat tribuenda, quare Abaelardum hoc adhuc facere voluisse et aut propositum suum abjecisse aut sequentem partem hoc continentem perditam esse statuendum videtur. Similiter sub finem aliae sententiae inveniuntur, quarum solutio non satis expressa est.

3.

De tempore, quo ethica scripta est, nihil certi dici potest. Cum theologiae in ea mentio fiat, post theologiam, et cum ethica ipsa in commentario in ep. Pauli ad Rom. memoretur, ante hoc scripta esse debet. Introductio vero ad theologiam in Concilio Suessionensi anno MCXXI combusta [4]) et ejus loco postea theologia christiana orta est, quam ethica nostra sequebatur. Jam Abaelardus finito

1) Amboes. com. in ep. P. ad Rom.

2) Op. Bern. T. I. p. 307; hunc locum V. Cousin citat: Ouvrag. inéd. d'Abél. — Rémus. p 214. dicit, sententias, quae in Conc. Sen. damnatae sint, ex hoc scripto haustas esse. — Frerichs, l. c., Bernardum quaedam e libro Abaelardi ethico in ep. ad Innoc. II. protulisse dicit. — Cf. Op. Bern. ed. 1690. ep. 188. et 192. — B. Pez diss. is. in Tom. III. — Rém. Ab. II. p. 478.

3) Cf. Neand. d. h. Bernh.

4) Op. Ab. ed. Cous. I. p. 15.

Concilio Suessionensi primum Parisiis in monasterio S. Dionysii versabatur, deinde in praedio Comitis Theobaldi de Campania [1]) permultis discipulis audientibus docuit [2]). Tum abbas erat in monasterio S. Gildasii in Armorica Britannia sito, ubi ad scripta elaboranda otio fruebatur, veresimileque est, eum hoc fecisse ibique scriptis mandasse, quod antea coram discipulis docuerit. Eo tempore epistolae, quas Heloissae, Paracleti tum abbatissae, scripsit, illaeque, quas rursus Heloissa ei miserat, ortae sunt, et cum hoc tempore et problemata Heloissae et solutiones Abaelardi [3]) scripta esse oporteat, e similitudine quadam inter ethicam et solutiones ethicae nostrae quoque prima lineamenta tum composita esse concludi potest [4]).

4.

Quod attinet ad titulum nostrae ethicae, haec inscripta est: „Ethica seu liber dictus: Scito te ipsum“. Dubium esse non potest, quin Abaelardo ipsi haec verba tribuenda sint, neque vero postea demum ab aliis addita, cum viri ejus temporis ea noverint eorumque formam vituperent [5]). Titulus, qui est versio illius philosophicae sententiae: γνῶθι σεαυτόν, certam ethicae indolem prae se fert, quae quidem magis philosophica quam theologica est, neque absque caussa titulus electus esse potest, cum propositum Peripatetici nostri sit, philosophiam graecam et christianismum

7) Neand. d. h. B. — Hist. cal. op. Ab. I p. 24.

8) Lettr. d'Ab. et d'Hél. par Oddoul. p. 23.

9) Op. Ab. I. p. 288.

10) Neander: „Scito te ipsum“ opus posteriori tempore ab Abaelardo scriptum esse dicit; Guizot p. 72: „qu'il (ethicam) composa selon toute apparence pour l'usage de son école du Paraclet. Sed haec opinio non veresimilis est.

1) Bern. op. T. I. p. 301. — ep. 188. ad Card. — Bern. op. ed. MDCII. p. 1577. Cf. Pez diss. is. in Th. III.

inter se conciliare, christianismum formam puriorem ejusdem generis esse ostendere, quod in philosophia graeca viguerit, quare, quod secundum materiam re ipsa expresserat, id formaliter atque extrinsecus hoc titulo philosophico indicare voluit.

5.

Quodsi formam fragmenti ethicam nostram habere supra commemoravimus, id non modo in eo consistit, quod liber sub finem abrumpitur neque secundum interna postulata finitur, sed etiam in singulis ethicae partibus ejusque materiis patet, quae quidem, aliae magis aliae minus, exponuntur, omnes vero non ita, ut decet, explanantur. Maxime inter eas, et philosophice quidem magis, quam theologice, notiones „vitii, peccati, voluntatis et operationis“ (c. II, III.) [1]) exponuntur et exemplis uberius dilucidantur; his accedunt quaestiones de peccato singulatim et de divisione peccatorum. Brevissime tantum virtutes tractantur, eximie philosophice, haud raro difficillime intellectu. Pluribus tum Abaelardus in secunda parte de poenitantia loquitur, quae pars praecipue magis rhetorica atque splendida est, quam antecedens, praeterea et cognitione rerum humanarum uberrima et descriptione earum ornata elegantique excellit [2]).

6.

Quod ad formam ethicae attinet, a tractationibus ethicis et priorum et subsequentium temporum differt, quippe peculiaris ethicae materiam modo continet liber, quum contra tractationes ethicae aliorum temporum aut cum dogmaticis doctrinis, cum „Summis et Sententiis“ conjunctae sint, aut illi tractatus ethici, qui exstabant, singulas modo partes

1) Eth. p. 628—644.
2) Ib. p. 664—668.

contineant [1]). Exstabant quidem libri poenitentiales, ex quibus postea inde a saeculo XIII. „Casuisticae Summae“ ortae sunt, sed his omnibus forma systematica deest et philosophica dispositio et secundum hanc expositio. Quamquam ethica nostra fragmenti formam habet, tamen consilium auctoris eam tanquam materiam separatam efformandi tractandique dignoscitur. Etiamsi, quod ad hoc attinet, elaboratio desit, elucet tamen conatus et hac re, habito respectu aliarum tractationum, progressum haud tenuem efficit.

7.

Haud multi in universum usque ad hoc tempus fuerunt, qui hanc materiam uberius tractaverint. In operibus priorum temporum plerumque breviter tantum ethica commemoratur et de ea judicatur, atque recentiori quoque tempore magis ejus mentio fit, quam ut specialiter tractetur. Scripsere de ea Neander [2]), Schlosser [3]), Goldhorn [4]), Frerichs [5]), Franck [6]) inter nostros; Dom Gervaise [7]), Rémusat [8]) inter Franco-Gallos; Berington [9]) inter Anglos; praeterea scripsere de ea inter antiquos praecipue Bernardus,

1) Frerichs plurium autorum nomina profert: Gregor. Magnus, Isidor. Hispal., Beda Venerabilis, Alcuinus, Rhabanus, Maurus, Aldhelmus, Smaragdus, Jonas Aurelianensis aliique.
2) Der heilge Bernhard 1848.
3) Abäl. und Dulcin, Gotha 1807.
4) De sum. princ. theol. Abael. Leipz. 1836.
5) Com. theol. crit. de Petr. Abael. doctrin. dogm. et mor Jena 1827.
6) Tüb. Zeitschr. für Theol. 1840. 4. H. „Beiträge zur Würd. Ab.“
7) La vie de Pierre Abeillard, abbé de S. Gildas de Ruis et celle d'Héloise, son epouse, première abbesse du Paraclet. II. T. Paris 1728.
8) Abél. par Charles de Rémusat, Paris 1845.
9) The history of the lives of Abeillard and Heloisa by Joh Berington, Lond. 1787.

Claraevallensis abbas [1]), aliique; tum posterioribus temporibus Amboesius [2]), Martenus et Durandus [3]), Pezius [4]), auctor historiae literariae Franciae [5]), Bayle [6]), G. Arnold [7]), alii, et inter recentiores Victor Cousin [8]), Rheinwald [9]), Henricus Ritter [10]) etc. Praeterea conferantur Gualterus a S. Victore [11]), Otto Frisingensis [12]), Petrus Venerabilis [13]), Guilielmus a S. Theodorico [14]), Johannes Sarisberiensis [15]), Berengarius Scholasticus [16]); porro Thomasius [17]), Bruckerus [18]), Fessler [19]), Stäudlin [20]), Tennemann [21]), Engelhardt [22]), Carrière [23]), Guizot [24]), Lewald [25]); denique Chateaubriand [26]), Michelet [27]) aliique, qui minoris momenti sunt.

1) Bern. op. cf. tract. de errorib. P. Abael. ad Innoc. — ep. ad Card. 188, p. 1577 aliaeq. ep.
2) op. Abael. Par. 1616. Praef. apol. pro Petr. Ab.
3) Thes. nov. anecdot. T. V. Obs. praev. ad Theol. chr. p. 1140 s. Lut. Par. 1727.
4) Thes. anecd. nov. Aug. Vind. 1721. T. III. Diss. is.
5) Hist. littér. de la France T. XII.
6) H. Pet. Baylens hist. krit. Wörterb. v. J. Chr. Gottscheden, Leipz. 1741.
7) Unparth. Kirch. u. Ketzerhistorie I. p. 369.
8) Ouvr. inéd. d'Abél. publ. par V. Cousin, Par. 1836. Intr. 1—203. — porro: Petri Ab. opera ed. V. Cous. T. I. Par. 1849.
9) Epit. theol. chr. Berl. 1835.
10) Gesch. d. christl. Philos. 3. Th. Hamb. 1844, p. 401—433.
11) Contr. quat. labyr. Gall.
12) De reb. gest. Frid. I. l. I. c. 47, 48, 49.
13) ep. ad Heloiss. cf. op. Ab. ed Cous.
14) Disput. adv. P. Ab. — v. Biblioth patr. Cisterc.
15) Metalogicus. — 16) Apol. pro magistr. c. Bern. — 17) P. Abael. vita. — 18) Hist. crit. philos. — 19) Ab. u. Helois. Berl. 1808. — 20) Gesch. der Mor. — 21) Gesch. der Philos. Leipz. 1810. — 22) Niedner: Zeitschr. für hist. Theol. Leipz. 1846. I. H. — 23) Ab. u. Heloise, Giessen 1844. — 24) Lettres d'Abeill. et d'Héloise, traduit. sur les manuscr. de la biblioth. royal. par Oddoul; précéd. d'un essai hist. par M. et Mme Guizot. Paris 1839. — 25) De op. Ab., quae Cous. ed., Heidelb. 1839.
26) Génie du Christ. II part. l. III. chap. V. cf. Guizot.
27) Hist. de Franc. T. II. p. 281 - 298.

Ethica.

I. De Peccato.

A. Contentorum explicatio.

§. 1. Prologus.

In prologo Abaelardus definitionem morum affert his verbis: „Mores dicimus animi vitia vel virtutes, quae nos ad mala vel bona opera pronos efficiunt“. Diversas vero ab his vitiis vel bonis animi esse vires corporis, veluti fortitudinem, claudicationem etc. Virtutes contrarias esse vitiis.

Dum vero ab una parte Abaelardi studium, spirituale quoddam morum principium proponendi, laudare nos oportet; tamen et ab altera parte vitia hujus definitionis, imprimis quae ad „vitii“ notionem attinent, comparata hac definitione cum aliis, qui huc pertinent, locis non praetermittenda sunt. Traditur in sequenti expositione vitii definitio, ubi de notione malae intentionis agitur, ex qua, adhibito animi consensu, peccatum fit, et, si conceptus inter se correspondere debent, virtutes intentiones bonas esse oportet; quam definitionem si adhibemus, mores dicendi sunt vel bonae vel malae intentiones, quae nos ad bona vel mala opera pronos reddunt. Sed haec definitio neque ad totam ethicam sufficit neque cum sequenti expositione congruit, quum bonae et malae intentiones una modo pars ejus sint, alia de habitu animi has intentiones respicientis agat. Itaque quemad-

modum hac in re formam hujus definitinis probare non possumus, ab altera tamen parte cognoscimus et laudare volumus, Abaelardum caussam mali bonique diligenter perscrutatum mores non in externis rebus posuisse neque actionem, ut talem, normam animos regulantem esse dicere voluisse, sed spirituale principium reperire studuisse, ex quo, quasi e centro, hominum actiones derivaret et secundum quod eas dijudicaret.

§. 2.

(C. I.) Certa autem vitia vel bona animi a moribus excludenda esse, veluti hebetudinem animi, velocitatem ingenii etc. Haec vitam neque turpem neque honestam reddunt. Intelliguntur modo ea vitia, quae „voluntatem inclinant ad aliquid, quod minime convenit fieri vel dimitti“ [1]).

(C. II.) Animi „vitium“ non idem est, quod „peccatum“, peccatum vero non idem, quod „mala actio“. Multos natura ipsa vel complexio corporis pronos efficit, nec tamen in ipso hoc peccant, quia tales sunt, sed pugnae materiam ex hoc habent [2]) secundum illud: „Melior est patiens viro forti et, qui dominatur animo suo, expugnatore urbium“ [3]). Id significare vult Apostolus, si dicit: „Non coronabitur quis, nisi legitime certaverit“ [4]). Hujus sententiae interpretatio Abaelardum movet, ut non turpe esse hominibus servire sed vitio contendat [5]).

(C. III.) Abaelardus hoc caput, quod maximi momenti summique ponderis est, incipit a definitione „vitii“ et „peccati“. Vitium esse intelligit inclinationem ad malum,

1) l. c. Ethica p. 628. — 2) ib.
3) Prov. 16, 32 sec. Vulg.
4) ep. II. ad Timoth. 2, 5.
5) Eth. p. 629.

peccatum vero animi consensum ad inclinationem [1]). Consensus animi vel peccatum animae culpam addit [2]) neque hoc vitium efficit, consensus est dei contemptus et offensa; nam deus non damno sed contemptu offenditur, quem contemptum ulciscitur [3]). Contemnere autem deum est, id nequaquam propter ipsum facere, quod a nobis propter ipsum faciendum esse credimus [4]). Hac negativa definitione peccati vel dei contemptus demonstratum est, non esse substantiam peccati, quod magis in Non—Esse, quam in Esse, consistat, sicuti definitio tenebrarum sit, ibi lucis absentia, „ubi lux debuerit esse“ [5]).

Jam vero quomodo sese habet mala voluntas? Nonne peccatum in mala voluntate atque adeo in Esse potius quam in Non—Esse consistit, sicuti mala voluntas ipsa? Contra hoc monendum est:

I. Peccamus interdum absque ulla mala voluntate;

II. Materia pugnae est mala voluntas, quae refrenata non exstincta esse debet, ergo infirmitas quaedam necessaria [6]).

1) ib.: „Vitium itaque est, quo ad peccandum proni efficimur; hoc est, inclinamus ad consentiendum ei, quod non convenit, ut illud scilicet faciamus vel dimittamus. Hunc vero consensum proprie peccatum nominamus etc.“ — Recte in consensu animi peccatum constare scribit Rémusat in libro suo p. 217: „Ce n'est pas dans l'oeuvre, que réside le péché, mais dans la volonté ou plutôt dans l'intention ou le consentement donné sciemment au mal, de sorte que l'oeuvre en elle-même ne nous rend ni meilleurs ni pires, que l'ignorance exclut le péché et que le péché n'est ni dans l'acte ni dans la tentation ni dans la concupiscence ni dans le plaisir“.

2) Eth. p. 629: „qua damnationem meretur vel apud deum rea statuitur“.

3) Recte hoc explicat Frerichs l. c. — 4) Eth. p. 629.

5) ib. p. 630. — 6) ib.

§. 3.

Ad I. Abaelardus exemplum sui defensionis et caedis propter evadendam mortem tradit idque dijudicat. Alicui insidiae parantur, fugit primum, sed denique, ut mortem evadat, quum crudelis persecutor premit, coactus persecutorem occidit. Voluit mortem evadere vitamque suam conservare, denique nolens et coactus illum interfecit. Nonne eum voluntarie interfecit? Minime. Quamvis praesumamus, facinus ex voluntate profectum esse, tamen non mala voluntas erat [1]). Noluit persecutorem interficere. Non est idem, si dico: quia persecutorem occidere voluit evadendae mortis caussa, ac si simpliciter dico: quia eum occidere voluit [2]). Sed deliquit tamen ille, ut Abaelardus vult, non quia voluntatem persecutoris interficiendi habuit, hanc enim non habuit, certe quidem non malam, sed quia in occisionem consensit, in quam non debuit, et hic ejus injustus consensus, qui occisionem praecessit, peccatum fuit [3]). Sequitur ergo ex hoc exemplo, quum ille, qui persecutorem interfecit, quamquam malam voluntatem non habuit, tamen peccatum commiserit, peccatum nonnumquam commiti posse sine mala penitus voluntate, et, quod peccatum sit, voluntatem dici non posse [4]). Praeterea saepe de voluntate dicitur, ubi dolor, ubi passio tantum exstat et aliquid non: „Velle", sed illud potius est „Tolerare", quod quis cum magnis lacrymis et multo gemitu sustinere cogitur. Sic se habet res exempli caussa, si Christus dicit: „Si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu" [5]), quod magna passio animae erat et ex infirmitate humanae naturae interpretandum est; similiter

1) Eth. p. 630 et 635. — 2) p. 631. — 3) ib. — 4) p. 632.
5) Ev. Matth. 26, 39: „*εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο· πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ*".

illud: „Oblatus est, quia ipse voluit" [1]), quod secundum divinitatis naturam explicandum est; vel illud: „Voluit" pro „Disposuit" juxta verba Psalmistae: „Quaecunque voluit, fecit" [2]).

Ad II. Sic se res habet, fortasse aliquis objicit, ubi coacti peccamus, neque vero ubi volentes, ubi volumus aliquid committere, quod nequaquam debere a nobis committi scimus. Propterea malam voluntatem vel turpe desiderium idem esse, quod peccatum [3]). Contra hoc Abaelardus sequenti exemplo utitur [4]). „Transit aliquis juxta hortum alterius et conspectis delectabilibus fructibus in concupiscentiam eorum incidit, nec tamen concupiscentiae suae consentit, ut inde aliquid furto vel rapina auferat, quamquam delectatione cibi in magnum desiderium sit mens ejus accensa. Ubi autem desiderium, ibi procul dubio voluntas consistit. Desiderat itaque fructus illius esum, in quo delectationem esse non dubitat; ipsa quippe suae infirmitatis natura compellitur id desiderare, quod nescio domino vel non permittente non licet accipere. Desiderium ille reprimit, non exstinguit; sed quia non trahitur ad consensum, non incurrit peccatum". Hoc exemplo objectio, quam supra commemoravimus, refellitur. Mala voluntas in turpi desiderio consistit, materia pugnae est, quae reprimi, non extingui debet. Similiter dici: „Si quis venit ad me et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, non est me dignus" [5]). Apud quosdam

1) l. c.
2) Psalm. 113, 3 sec. Vulg. cp. c. Ps. 134, 6. Bibl. hebr. ed. Hahn: Ps. 115, 3: cp. c. Ps. 135, 6: כֹּל אֲשֶׁר־חָפֵץ עָשָׂה׃
3) Eth. p. 632. — 4) ib. p. 633.
5) Ev. Luc. 14, 26: „*Εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα καὶ*

voluntatem interdum non a desiderio pendere [1]). Quamvis autem desiderium cum delectatione vel incitamento conjunctum sit, tamen peccatum in eo non consistere, sed, ut supra definitum est, in animi consensu.

Tum aliorum objectionem legimus, peccatum, etsi in voluntate non consistat, esse tamen voluntarium. Contra quod Abaelardus: hoc dicto nihil aliud exprimi posse, quam quod omnis necessitudo excludatur [2]), aut, ut supra dictum est, „quod ex aliqua procedat voluntate“.

§. 4.

Porro Abaelardus ad quaestionem de „mala actione“ procedit deque ea multa affert. Multos inquit esse, qui non mediocriter moveantur sententia, operationem vel malam actionem nihil ad reatum animae addere. Illos enim putare, esse praeter peccatum adhuc delectationem quandam, quae peccatum augeat, veluti in esu delectabilis cibi. Sed hoc tantummodo verum esse, si concedatur, delectationem naturalem peccatum esse, neque vero hoc esse posse, quia alioquin deus culpabilis foret, quod corporibus et fructibus delectationes et sapores dederit. In novo testamento quoque, ut eo fruamur, concessum esse, quod in veteri vetitum sit, veluti vesci carnibus suillis. Si quis vero, Abaelardus pergit, dicit, in matrimonio „conjugale debitum“ permissum quidem esse, neque vero delectationem; pariter fructus delectabilis esum quidem permissum esse, neque vero delectationem ipsam: hoc re ipsa exhiberi

---

τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφάς, ἔτι δὲ καὶ ἑαυτοῦ ψυχήν, οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι“.

1) Eth. p. 634: „Sunt, quos omnino piget in consensum concupiscentiae vel malam voluntatem trahi, et hoc ex infirmitate carnis velle coguntur, quod nequaquam vellent velle“.

2) ib. p. 635: „quum nullum videlicet peccatum inevitabile sit“.

non posse. Praeterea quomodo consentit cum hoc lex in veteri testamento, quae olim ad matrimonium cogebat, ut unusquisque semen relinqueret in Israel [1])? Quomodo cum hoc Apostoli verba consentiunt, qui conjuges debitum invicem compellit solvere [2])? Ex hoc elucet, naturalem carnis delectationem peccatum non esse. Etiamsi enim nonnulli Ps. I. laudent [3]), ibi Davidis verba de peccato originali interpretanda esse, Apostolique verbum [4]) „indulgentiam“ non „veniam peccati“ esse, sed modo exprimere, non esse coactionem conjugibus adhibendam ad debitum solvendum.

Praeterea et lex et evangelium eo spectat, ut non opera urgeantur, sed animus, veluti: „non concupisces“ [5]) et: „qui viderit mulierem ad concupiscendam jam moechatus est in corde suo“ [6]); his locis „consensus“ modo exprimitur, non „concupiscentia“ per se. Perinde sese alia legis evangeliique praecepta habent, significatur modo consensus

---

1) Deut. 25, 5:

כִּי־ יֵשְׁבוּ אַחִים יַחְדָּו וּמֵת אַחַד מֵהֶם וּבֵן אֵין־לוֹ לֹא־תִהְיֶה אֵשֶׁת־הַמֵּת הַחוּצָה לְאִישׁ זָר יְבָמָהּ יָבֹא עָלֶיהָ וּלְקָחָהּ לוֹ לְאִשָּׁה וְיִבְּמָהּ׃

cp. c. Ruth c. 4, 5:

בְּיוֹם־קְנוֹתְךָ הַשָּׂדֶה מִיַּד נָעֳמִי וּמֵאֵת רוּת הַמּוֹאֲבִיָּה אֵשֶׁת־הַמֵּת קָנִיתָי לְהָקִים שֵׁם־הַמֵּת עַל־נַחֲלָתוֹ׃

cf. Ev. Matth. 22, 24.

2) Ep. P. ad Cor. I, 7, 3.

3) Ps. 50, 7 sec. Vulg.; Bibl. Hebr. P. 51, 7:

חֵן־בְּעָוֹן הוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃

4) Ep. I. ad Cor. 7, 6: „*Τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην οὐ κατ' ἐπιταγήν*“. Vulg.: „secundum indulgentiam, non secundum imperium“.

5) Deut. 5, 18; Exod. 20, 17:

וְלֹא תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ׃

sec. Vulg. Deut. 5, 21. — 6) Ev. Matth. 5, 28.

hendit nisi humana etc." est haec humana tentatio necessaria, et haec est omnis inclinatio ad id, quod non convenit. Haec humana tentatio, quae arcte cohaeret cum humana infirmitate, est exempli gratia delectatio carnalis vel delectabilis cibi desiderium [1]), quod intelligitur e verbis Psalmistae [2]): „De necessitatibus meis erue me". Huic necessariae et naturali tentationi concupiscentiae consensus animi addi non debet, et de hac re nos valemus, nam: „Homo non tentatur supra id, quod potest" [3]).

Tum sequitur [4]) explicatio suggestionis quorumdam malorum spirituum vel daemonum, qui non verbis sed factis saepe hominem ad peccatum inducant. Sunt hi secundum opinionem Abaelardi spiritus personificati, qui vires naturae earumque perniciosa incitamenta in naturam hominis perfecte cognoscant et his rebus hominem imprimis ad libidinem aliasque animae affectiones incitent, quo facto homo tum peccat, quum his incitamentis consentit.

§. 6.

Jam consideramus c.c. V—VIII, XIII—XIV, et c. XXII, quae complementa superiorum sunt singularumque partium expositiones de notione peccati continent.

---

1) Rémus. Ab. II: „Tentation humaine est le désir".

2) Bibl. Hebr. Ps. XXV. v. 17:

מְמְצוּקוֹתַי הוֹצִיאֵנִי׃

Vulg. 24, 17.

3) Eth. p. 643. Ep. I. ad Cor. 10, 13: „*Πιστὸς δὲ ὁ θεὸς, ὃς οὐκ ἐάσει ὑμᾶς πειρασθῆναι ὑπὲρ ὃ δύνασθε, ἀλλὰ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, τοῦ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν*".

4) Eth. p. 644.

C. XIII. quaestionem proponit, cujus solutio c. XIV. est. Nonne, sic quaeritur, persecutores Christi peccatum commisserunt, quia se opus deo bene placens facere putaverunt persecutione, quam, nisi in peccatum incidere voluerint, omittere non debuerunt? Secundum peccati definitionem factum illorum peccatum dici non potest. Porro et ignorantia peccatum non est secundum illud: „Pater demitte iis, non enim sciunt, quod faciunt" [1]), et secundum Stephani verba: „Domine, ne statuas illis hoc peccatum" [2]). Sed ubi ignosci debet, ibi quoque culpa esse debet, et Apostolus claris verbis actum lapidantium peccatum nominat. Quia igitur peccatum supra commemorato loco definitum est, a quo parvuli et stulti immunes sunt [3]), discernendum est, quo sensu verbum „peccati" sumtum sit. Significatur quoque hoc „hostia pro peccato", porro „poena peccati", denique „opera peccati" quoque sic nominantur. Et sic quoque Apostolus apud Stephanum peccatum pro „injusta actione" aut „opere" dicit; similiter se res habet in illis: „Demitte iis etc."; hîc erat Christus, qui virtute sua nos ad exhibitionem summae dilectionis incitare voluit, ut crucifigentibus temporalis poena, quam injusta actione meruerant, condonetur. Ignorantia non est peccatum [4]), claudit vero portas coelorum. Nam si quis forte hominem, quem non videt, in silva sagitta interfecit, dum feris sagittandis intendit, non peccatum commisit, sed modo fecit, quod minime

---

1) Ev. Luc. 23, 34: „*Πάτερ ἄφες αὐτοῖς, οὐ γὰρ οἴδασι, τί ποιοῦσι*".

2) Act. 7, 60: „*Κύριε, μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην*".

3) Eth. p. 654.

4) Cf. de hac re id, quod Bernardus in ep. ad Card. dicit, ubi de „segete sacrilegiorum et errorum" loquitur in Petr. Ab. libro: Scito te ipsum. Bern. op. ed. 1602. ep. 188. p. 1577. Cf. et Pez. diss. is. in T. III. Thes. anecd. nov. p. XX.

convenit [1]). Contra conscientiam nihil esse faciendum; propterea persecutores Christi culpam fecissent, si ei contra conscientiam pepercissent [2]). Nihilominus vero, ut Abaelardus vult, peccaverunt: hîc contradictio obstat.

Porro c.c. V—VIII. consideramus. Si quis punitur sine culpa praecedenti, veluti si pauper mulier infantulum, quem nutrire non potest, interficit, aut si lex innocentem punire cogit, cujus innocentiam judex per se cognitam habet, sed ubi externa argumenta desunt: quid mirum, quod operatio ibi, ubi culpa praecessit, in hac vita magis puniatur, quam culpae reatus? Deus vero culpae reatum pensat neque opus, sed animum attendit [3]).

Si peccata spiritualia et carnalia nominantur, materia respicitur, ex qua procedunt, vel ex animo vel e corpore, et animum quidem respiciunt Apostoli verba de concupiscentia carnis et spiritus [4]), quamquam omnia peccata animae tantum sunt, sicuti omnis quoque concupiscentia Appellatio dei: „inspector cordis et renum“ significat: „inspector consensuum et intentionum“. Tum Abaelardus ad priora recurrit. Quare homines magis opera puniunt, quam culpam ipsam? Respondet: exempli statuendi caussa. Homines pensant „effectus et incommoditates“, deus vero „quantitatem culpae“. Alter malum opus committit, alter modo propositum committendi habet, utriusque reatus culpae coram deo idem est. Si opera omnia inter se indifferentia esse dicuntur, hoc exprimi debet, opera ut talia nihil valere, valere solum animum [5]). Hoc sensu Augustinus dicit: „Ipsum

1) Eth. p 658. — 2) ib. p. 659.

3) Eth. p. 946: „non tam, quae fiunt, sed quo animo fiant, attendit“.

4) Ep. ad Gal. 5, 17: „*Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός· ταῦτα δ'ἀλλήλοις ἀντίκειται, ἵνα μή, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε*“.

5) Eth. p. 648.

malum esse, bonum est“. Dicimus quidem: „hujus viri intentio bona est“, et „hujus viri opus bonum est“; sed in utraque propositione bonitas una eademque est, neque vero sunt duae bonitates.

Sequuntur tum hujusmodi alia exempla eorumque expositiones philosophicae, quibus Abaelardus dialecticam artem disputandi, adeoquo quendam sarcasmum ostendit, quae quidem exempla jam ab initio soluta fuissent, si principium certius formulatum collocavisset, ita ut consensus bonae intentionis necessario effectum postularet, qui tum modo non sequeretur, si externae res cogentes eum impossibilem redderent.

Dum Abaelardus propositum bonae actionis bonamque actionem ipsam parem vim habere affirmat, tamen in c. VIII. non negat, operationem mali propositi poenam quandam in hac vita sequi, scilicet „exempli statuendi caussa“; attamen hoc statuere non potest, quin concedat, operationem boni propositi aliquid valere, vel aliquid boni in se continere; quo concesso sibi ipsi contradicit. Nam operationem boni propositi, si quid boni operationi non inest, major quoque remuneratio, etiamsi in hac vita, per deum sequi non debet. Deus bonum tantum remunerat, neque vero quod indifferens est, neque malum remunerare potest, ergo, quod remunerat, bonum esse debet, et si operationem boni propositi magis quam propositum ipsum, etiamsi in hac vita, remunerat, operatio per se aliquid boni in se continere debet, quod tamen priori propositioni Abaelardi vehementer contradicit [1]).

1) Eth. c. VIII. p. 650: „Nec tamen negamus in hac vita bonis istis operibus vel malis aliquid tribui, ut ex praesenti retributione in praemio vel poena amplius ad bona incitemur vel a malis retrahamur etc.“ Sine dubio hic locus ad deum neque ad homines referri debet; Abaelardus dicere non vult, ab hominibus operationem retribui, sicuti supra de judicio ho-

Tum c. XXII. Peripateticus noster de peccata irremisibili agit; sed cum haec doctrina non cum philosophia cohaereat, eam praetermittimus [1] [2]).

Tum c. XV. quaestionem proponit, utrum omne peccatum deus nobis interdicat? Hoc praeceptum ei irrationabile videtur, quia vita nostra omnino non libera a peccatis, certe quidem a venialibus, esse potest. Si illud esset, quomodo multa dicta Scripturae cum eo congruerent [3])? Videtur ergo haec quaestio sic solvenda esse: Si „peccatum“ laxiori sensu sumimus, scilicet illo: „non convenienter facere“, vita sine peccato esse non potest; sin „peccatum“ supra commemorata definitione, scilicet notione „consensus“ accipimus, certe vita sine peccato esse potest, quamvis non sine maxima difficultate [4]).

Diversitas peccatorum tum Abaelardum movet, ut aliam adhuc divisionem eorum, quam illam, quam cognovimus, nobis tradat. Discernit enim inter peccata damnabilia et venialia, sive gravia et levia; et damnabilia iterum in criminalia et non criminalia dividit. Videmus in hac divisione, quam arcte illo tempore morum et juris doctrina inter se conjuncta fuerit, quod etiam e decreto Gratiani [5]), quod paulo post scriptum est, cognosci potest, quae conjunctio doctrinae morum et juris usque ad Dannaei, Grotii, Thomasii et Pufendorfii tempora mansit. Jam venialia peccata secundum Abaelardum illi consensus animi sunt, quibus

minum vel judicum ab externis actionibus pendenti locutus sit, sed a deo: et in hoc contradictio plane inest.

1) Eth. p. 672, 673.

2) Rém. hac doctrina Abaelardum cum Chrysostomo et Isidoro Pelus. consentire dicit.

3) Ep. Jac. 3, 2; et ep I. Joan 1, 8.

4) Hic locus comparandus est cum probl. Hel. et sol. Ab. Cf. Cousin op. Ab. p. 288 seq.

5) Ed. Card. Joh. Turrecrem. Rom. 1727.

quidem „Scire“ praecedit, sed quorum ultima caussa „oblivio“ est, velufi in cibo indulgendo, in vaniloquio, non mediocri cultu adornando etc., in quibus „non occurrere memoriae illud est, quod scimus“ [1]). Damnabilia contra illa sunt, quae non ex oblivione sed e studio et deliberatione committuntur, veluti perjurium, adulterium, homicidium etc. [2]). Ex his criminalia illa vocantur, quae per effec[illegible] cognita in audientiam veniunt [3]).

Tum Noster ad c. XVI. procedens quaestionem dijudicat, „utrum melius sit, a venialibus providere peccatis, quam a criminalibus“, quod quidam affirment, quia id difficilius et laboriosius sit ideoque magis meritorium. Sed Abaelardus vult, quod difficilius, id ideo non per se melius et salubrius esse. Alioquin timorem legis majorem esse debere, quam spiritualem amorem evangelii, qui quanto verior, tanto fortior sit [4]). Ab illis peccatis maxime cavendum esse, quibus amor maxime laedatur. Quocum illam cohaerere sententiam:

„Oderunt peccare boni virtutis amore“ [5]).

Ex hac sequi, ut id praecipue et ante omnia non fiat, quod „turpissimum sit in se“. Philosophorum veterum sententiam, omnia peccata inter se paria esse, rejicit [6]) immo statuit, eum, cujus virtus ad perfectionem pervenerit,

1) Eth. p. 660. — 2) ib. p. 660. — 3) ib. — 4) p. 661.

5) Theol. christ. ed. Edm. Mart. et Urs Durand Thes. nov. anecd. T. V. Lut. Par. MDCCXVII. p. 1206: „Quorum quidem unus quum honestatis formam traderet egregie ait: „Oderunt etc.“: ac si aperte doceat a turpitudine vitiorum magis abstinendum ipsius virtutis amore, quae dicitur honestas, quam supplicii timore, quo ingrati coercentur servi. Eth. p. 662.

6) Rém. p. 468 ann: „Allusion à une maxime fort connue des Stoiciens“. Cf. Ritter Gesch. d. Ph. III Th. p. 630. — Eth p. 662. Ab. hoc Stoic. placitum manifestam stultitiam nominat.

et a venialibus et a criminalibus peccatis liberum esse. Is potissimum sibi a peccatis cavere potest, cujus cognitio est summa; nam cognitum tantum peccatum aliquis fugere potest, et si quis justus esse vult, ei propterea cognitio praecipue deesse non debet [1]).

Hic capitibus explicatis videmus, quam constanter Abaelardus et datam peccati definitionem et principium ethicae persecutus sit, jam progredimur ad singularum doctrinae de peccato partium explicationem, ad commentationem criticam, ad Abaelardi psychologiam.

B. Commentatio critica.

I. De Abaelardi psychologia.

§. 7.

1) De Vitio.

Jam nostrum est, quatuor praecipuos conceptus, qui commemoratis capitibus imprimis continentur, accuratius atque diligentius considerare: „vitium“ scilicet, „peccatum“, „malam voluntatem“ „malamque actionem“. Incipiamus a „vitii“ conceptu. Hoc secundum Abaelardum in malis inclinationibus consistit, quae ad malas actiones alliciunt. Cuinam igitur animae parti, num rationali an appetitivae, intentiones vel inclinationes adscribendae sint, satis perspicuum est; aut ne de animae partibus dicam, sed de unius ejusdemque essentialis unitatis viribus: appetitiva vis animae sunt, cujus caussa secundum Abaelardum partim in corporis materia ipsa [2]), partim in rebus extrinsecus in corpus influentibus [3]) posita est, et quae appetitiva animae

1) Eth. p. 663. — 2) Eth. p. 628. c. II.
3) Eth. p. 643 et 644. c. IV.

vis secundum objectum, ad quod tendit, si hoc permissum est, bona, si vero illicitum, mala est vitiumque nominatur.

2) De Peccato.

Peccati autem natura in ratione consistit atque sic intentioni opposita est. Intentioni enim accedit Consensus, qui est rationis actus et in eo consistit, ut intentioni vel malae vel bonae applausum tribuat. Haec enim est peculiaris rationis functio vel consensus, qui, si malae intentioni datur, fit peccatum.

3) De mala Voluntate.

Jam quid Abaelardus de malae voluntatis notione judicat? Quum malam voluntatem a vitio vel mala intentione distinguat: voluntatem per se quoque ab intentionis per se conceptu distinctam esse oportet. Etenim voluntas neque appetitiva animae vis per se, neque rationis per se vis esse potest; nam partim ab Abaelardo ipso ab intentione distinguitur, partim vero ei deest consensus vel rationis vis [1]). Quae cum ita sint, et voluntas secundum Abaelardum non idem sit, quod nos hoc verbo intelligimus, firmum scilicet ac fixum rationis propositum ad id efficiendum, quod haec sibi faciendum proposuerit: restat, voluntatem aut majorem ac fortiorem appetitivae animae vim esse, quam quae „intentionis“ notione exprimatur, aut mentis vim minus determinatam atque perspicuam, quam quae „rationis“ conceptu intelligatur. Certe quidem inter intentionem et animi consensum medium obtinet locum, et si voluntas per se vis magis intensiva, quam intensio per se est, mala

1) Cf. Ch. de Rémus. Ab. II. p. 480: „La volonté sans discernement n'est qu'une force aveugle. Il faut, que la volonté soit pleine et entière . . . ., mais elle n'est pas pleine et entière, quand elle est sans discernement“.

quoque voluntas validior esse debet conceptus, quam malae intentionis vel vitii.

4) De mala Actione.

Hoc conceptu externa modo actio comprehenditur, neque vero interna, quae est animi. Haec autem, ut Abaelardus docet, per se, vel ut talis, peccatum non est. Considerandum igitur est primum, unam eandemque actionem, quae sine animi consensu culpabilis non sit, adhibito animi consensu culpabilem fieri; porro omnem actionem culpabilem tamen per se non peccatum esse, sed peccatum in interno animi actu vel consensu consistere, qui ad actionem accedat. Nam externa actio ut talis adiaphoron est, et id quidem est omnis externa actio. Sed, ut Abaelardus vult, hoc modo respectu dei et hominum valet, neque vero respectu hominum inter sese ipsos, vel quod idem est, haec sese res secundum morum disciplinam sic habet, neque vero secundum juris notionem.

II. De summo principio morali.

§. 8.

Vidimus igitur, quomodo Abaelardus peccatum definierit, animi consensum ad malam intentionem; jam quaerimus, quaenam sit lex, qua animus in consentiendo determinetur. Haec est secundum Abaelardum lex moralis, sed haec lex eatenus modo valet, quatenus aliquis eam cognoverit [1]). Ex hoc ejus summum principium morale profluit, quod in „Animo“ consistit, illo scilicet, quo quid fiat. Quo principio id praecipue ostendere studet, illum, qui solo animi consensu ad malam inclinationem peccaverit,

1) Rém. Ab. II. p. 482: „Le discernement a été posé comme une condition de la moralité“.

aeque culpabilem haberi, atque illum, qui ad consensum operationem addiderit. Praeterea hoc principio doctrina Abaelardea illi medii aevi indoli externa respicienti hisque obstrictae admodum opposita atque in spirituali magis fundamento posita est [1]). Quod autem attinet ad characterem hujus principii in exhibitione practica, partim valde severus videri potest, nam, ut jam antea commemoravimus, is, qui modo consensum malae intentioni tribuit, pari modo peccat atque ille, qui huic adhuc operationem addit; partim autem laxus, nam nullum facinus, etsi grande, per se malum est, sed, utrum malum sit necne, ab animi consensu pendet [2]). Potuit quidem principium in malam partem facile verti; attamen ex Abaelardi sententia nihil periculosi ei inerat.

III. De appetitiva hominis materia, qualis sit.

§. 9.

Jam vero ab „intentione mala“ intentionis materia per se distinguenda est, quae appetitiva hominis materia

1) Cf. Neander: D. h. B.

2) Rém. Ab. II. p. 466 ann.: „Il n'est par necessaire de remarquer, que cette assertion doit être condammée par l'Eglise. Bayle et, après lui, les auteurs de l'Histoire littéraire (Bayle: Art. Foulques. Hist. littér. T. XII. p. 128) pensent réconnaitre ici une doctrine de relâchement, reprochée plus tard aux jésuites. On les a vivement attaqués pour une thèse soutenue en 1686 dans leur collége de Dijon, et qui établissait une distinction entre le péché philosophique ou moral et le péché theologique. Suivant cette distinction tandisque l'un est le péché mortel ou la transgression libre de la loi divine l'autre ne serait qu'une acte humain non conforme à la nature raisonnable et à la droite raison. Quoique grave il ne serait pas dans celui, qui ignore Dieu, ou qui ne pense pas actuellement à lui, une offense envers Dieu etc.“

est atque ea re, quod rem lege morali haud permissam petat, mala fit, ergo per se mala non est. Si vero, ut Abaelardus dicit, haec intentio mala vel voluntas mala homini necessaria est [1]), sequitur, hanc intentionem propriam partem hominis essentiae esse. Quum autem haec intentio per se mala non sit, immo potius abusu vel falsa directione vel illicita petens mala fiat, sequitur, Abaelardum in hac re ab ecclesiae doctrina, quae hanc intentionem per se malam, quin immo peccatum esse doceat [2]), quam maxime abhorrere.

Jam vero speciatim ad comparationem cum ecclesiastica doctrina accedamus.

C. Comparatio cum doctrina ecclesiastica.

§. 10.

Haud facilis propterea comparatio Abaelardeae doctrinae cum illa ecclesiae est, quoniam haec ex scriptis singulorum patrum et doctorum ecclesiae, e decretis conciliorum, e bullis paparum colligi debeat, neque vero haecce omnia semper inter se consentiant. Sufficiat ad nostrum consilium, unum modo, eumque clarissimum, ad quem omnes alii referri possunt, e temporibus ante Abaelardum, eodemque modo unum, eumque clarissimum, e temporibus post illum

1) Neander: „Die Trübung der sittlichen Natur des Menschen nach der Kirchenlehre musste nach Abälard als etwas im sittlichen Entwickelungsprozesse Nothwendiges erscheinen".

2) Frerichs com. th. cr.: „Omnino enim medii aevi homines severam Augustini de miserabili hominis naturae conditione opinionem pio animo amplexi quodlibet dei gratia, nostra caussa nihil, faciendum esse existimaverunt. Mystici in his modum omnem transgressi sunt, sed et Scholastici aevi ingenio indulgent".

diligentius a nobis respici, quorum alter est Augustinus, alter Thomas Aquinas, uterque lumen atque columen ecclesiae Catholicae.

Augustinus „peccati" naturam in „voluntate" positam esse in illa, qua saepe utitur, definitione: „Peccatum est voluntas retinendi vel admittendi, quod justitia vetat" [1]), significat. Maxime id igitur valet, ut quid „voluntarie" fiat [2]). Alibi peccatum „appetitum liberae voluntatis" aliquid, quod non permissum sit, intendentem esse definit [3]), vel statum, qui e peccato procedit, peccatum vocat [4]), vel denique et cupiditatem et vitium et malam voluntatem peccati notione comprehendit [5])

1) Augustini op. Par. 1700. T. X: Op. imperf. c. Julian. p. 1250: „Peccatum nihil est aliud, quam voluntas retinendi vel admittendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere". T. VIII: De duab. animab. c. Manich. p. 85 et 86 eadem definitio invenitur.

2) C. Secund. Manich. T. VIII. p. 534: „Defectus voluntarie fiunt, recte reprehenduntur et peccata nominantur". ib. p. 536: „Nec tamen omnem defectum esse culpabilem sed solum voluntarium, quo anima rationalis ad ea, quae infra illam sunt condita, declinat affectum, hoc est enim, quod peccatum vocatur". ib. p. 537. — ib. p. 538: „Voluntate autem peccant, qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel stulta benevolentia, vel malitiosa invidia. Cum omnes naturae in suo genere bonae sint, malum esse peccatum, quod fit voluntate animae". ib. p. 540.

3) Op. imperfect. c. Jul. T. X. p. 1252: „Peccatum est appetitus liberae voluntatis, quem prohibet justitia, vel, ut definitione utamur priori, voluntas faciendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere".

4) De div. quaest. ad Simpl. T. VI. p. 98: „Est autem peccatum hominis inordinatio atque perversitas etc."

5) Retract. T. I. p. 25: „Itemque definitio peccati, qua diximus: peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere: propterea vera est, quia ita definitum est, quod tantummodo peccatum est,

Primum ex his sequitur, Augustinum „voluntate“ et „appetitu“ idem significare, neque igitur voluntatis naturam ab appetitu, vel secundum Abaelardum, ab intentione distinguere; deinde, quum vitium et cupiditas res diversae non sint, cupiditas autem peccatum nominetur, vitium quoque peccatum esse.

His autem rebus totam inter Augustinum et Abaelardum differentiam videmus [1]). Vitium, appetitus, mala voluntas atque inclinatio secundum Augustinum unum idemque significant, omnes hae notiones peccatum continent; secundum Abaelardum vero nulla eorum peccatum est, sed hoc modo in spirituali actu ad has res accedenti consistit.

Thomas Aquinas peccatum „malum actum“ esse dicit eumque in externum actum atque in internum dividit, etenim et Velle et externas actiones hoc conceptu complectitur. Si aliquod peccatum absque omni actu esse posse affirmat [2]), non sibi constat, tale peccatum in Velle modo consistere

non quod etiam poena peccati. Nam quando tale est, ut idem sit et poena peccati, quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte, si pia est, ut oret auxilium? Alioquin tota cupiditas quam voluntas proprie nuncupanda est, quae non est, sicut Manichaei desipiunt, alienae naturae additamentum, sed nostrae vitium. Quod si quisquam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil aliud esse, quam voluntatem, sed vitiosam peccatoque servientem; non resistendum est nec de verbis, quum res constet, controversia facienda. Etiam sic enim ostenditur, sine voluntate nullum esse peccatum sive in opere sive in origine“.

1) Neander: d. h. Bernh.: „Beide Männer hatten die Macht der dem Göttlichen entgegenstrebenden sinnlichen Triebe in ihrer Jugend erfahren müssen. Augustin wurde desto strenger; Abälard beurtheilt das Widerstreben der sinnlichen Triebe mild, es in etwas Gutes zu verwandeln“.

2) Thom. Aquin. Summa, Col. Agripp. 1622; II. 1. qu. LXXI. art. V.

dicens; namque etiam Velle, ut ipse vult, actus est, scilicet internus [1]). Thomas Augustinum citat eumque interpretatur. Sequitur eum, si malum internum actum idem esse, quod malum incitamentum, peccatumque omnem vitiosam intentionem etiam sine animi consensu esse vult. Quodsi vero consensum addi et Velle idem esse atque consensum vult, Abaelardum sequitur. Sed elucet, eum conceptu interni mali actus, quem peccatum vocat, voluntatem comprehendere, quum voluntatem „subjectum peccati“ nominet [2]), atque sic cum Augustino consentit. Sed consensum quoque

1) Ib. Summa art. VI: „Dicendum, quod peccatum nihil aliud est, quam actus humanus malus; quod autem aliquis actus humanus sit, habet ex hoc, quod est voluntarius, quasi a voluntate elicitus, ut ipsum velle vel eligere sive quasi a voluntate imperatur, ut exteriores actus, vel locutionis vel operationis. Habet autem actus humanus, quod sit malus, ex eo, quod caret debita commensuratione: omnis autem commensuratio cujuscunque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanae est duplex. Una propinqua et homogenea, sc. ipsa humana ratio, alia vero est prima regula, sc. lex aeterna, quae est quasi ratio Dei. Et ideo Augustinus in definitione posuit duo: unum, quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato cum dixit: dictum vel factum vel concupitum: aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato cum dixit: contra legem aeternam“.

2) ib. qu. LXXIV. art. I: „Dicendum, quod peccatum quidam actus est; actuum autem quidam transeunt in exteriorem materiam et hujusmodi actus habent pro materia et subjecto id, in quod transit actio, sicuti Philosophus dicit in III phys. Quidam vero actus sunt non transeuntes in exteriorem materiam, sed manentes in agente. Unde oportet, quod proprium subjectum sit actuum moralium, quod sint voluntarii, sequitur, quod voluntas, quae est principium actuum voluntariorum sive bonorum sive malorum, quae sunt peccata, sit principium peccatorum et ideo sequitur, quod peccatum sit in voluntate sicut in subjecto“.

animi alibi peccatum esse affirmat [1]), qui tamen ab objecto suo pendet. Etenim si objectum peccatum est, consensus quoque ad id peccatum est, et si objectum peccatum non est, consensus quoque peccatum non est, id quod tamen dicere non potest, quin simul concedat, esse quasdam res per se peccata; hoc vero priori propositioni repugnat, ex qua peccatum in Velle consistat. Caussa hujus rei est, quod non, ut Abaelardus, inter voluntatem et animi consensum accurate ac definite distinguit. Vitium denique definiens in partes Augustini ire studet [2]), sed quaestio, quae nos tenet, utrum vitium peccatum sit necne, incerta relinquitur.

II. De Virtute.

A. Capitum expositio.

§. 11.

Complectimur jam cc. IX—XII, quibus doctrina Abaelardea de summo bono et de virtute exponitur. Est autem, si comparatur cum illa de peccato, brevissime tractata.

Incipit c. IX. a doctrina, deum summum bonum esse et hoc summum bonum permanere, quamvis „bonitas per eum in pluribus“ sit, videlicet ut „major sit numerus bonarum rerum, quamvis ad exhibenda quaedam variae res necessariae sint, quibus fiant [3]). Tum de Christi notione agitur, ubi docet Abaelardus, hanc notionem, quae humanitatem et divinitatem complectatur, notioni dei solius, ut

1) ib. art. VIII. p. 131.
2) Summa qu. LXXI. art. I. August. de lib. arb. III. c. XIV. et XV. Ed. Bened. T. I.
3) Eth. p. 651.

summi boni', non esse praeferendam, sicuti in singulis hominibus corpus bonum est et animus, quamvis ad dignitatem vel meritum animae bonitas corporis nihil referat [1]).

C. X. in explicatione sua Abaelardus sic pergit: Distinctio secundum numerum bonitatum vel bonarum rerum inter opus et intentionem esse non potest [2]); plures enim bonitates non sunt. Bonum opus id est, quod ex bona intentione procedit. Exempli caussa si dico: „simplex homo“ et „simplex verbum“ eadem vox „simplex“ diverso sensu intelligitur, neque vero sunt diversae simplicitates. Quare si bona actio ad bonam intentionem accedit, non bonum bono „superadditur“, ita ut plura bona sint, pro quibus major remuneratio esse debeat [3]).

Tum c. XI. bonam intentionem ut „rectam in se“ definit, actionem autem dicit non peculiare sibi bonum habere, sed esse ipsam bonam, quatenus e bono animo procedat.

C. XII. denique id imprimis Abaelardus agit, ut nequis credat, bonam vel rectam intentionem propterea bonam esse, quia aliquis bonam esse eam putet [4]). Nam aliquid studio vel zelo fieri potest, quod non bonum est, quamvis pro bono habeatur. Etenim si ita se res haberet, „intentio vel oculus cordis non clare ab errore providere videret“ [5]).

Hanc Abaelardi doctrinam jam nunc diligentius consideremus.

1) ib.
2) Rém. Ab. II. III. p. 461.
3) Eth. p. 651 et 652.
4) Rém. Ab. T. II. p. 461.
5) Eth. p. 652 et 653.

B. Commentatio critica.

I. De summo bono.

§. 12.

Summum bonum secundum Abaelardum deus est, bonum, quod a nemine coercetur vel minuitur vel quod a nullo meliori superatur. Hic duae res considerandae sunt.

1.

Si deus unum tantum bonum est, extra quod tamen multitudo aliorum exstat: nonne multitudo aliorum uni bono, nimirum deo praeferenda est? Contra hanc sententiam Abaelardus eo pugnat, ut dicat, normam boni non a numero sed a gradu peti, aliis verbis: bonum non secundum numerum sed secundum gradum vel intensivam virtutem judicari. Ex his nobis morale Abaelardi axioma exstat:

Norma boni est gradus intensivae virtutis.

Argumentum sententiae, deum summum bonum esse, implicite tantum eo expressum est, quod omne bonum in vitae rebus ab eo derivetur, ergo deus primum vel summum bonum sit [1]).

2.

Deus quidem summum bonum est; Christus, quamquam humanitatem et divinitatem complectitur, non majus bonum est, quam deus, qui modo divinitas sola est.

At vero si in Christo bonum humanitatis et bonum divinitatis est: nonne haec duo bona meliora sunt, quam unum bonum divinitatis dei? Refellit hoc Abaelardus ex hominis analogia dicens, hominem quoque ex corpore et anima constare, et tamen bonum animae bono corporis non augeri [2]).

1) Eth. p. 651.
2) Rémus. Ab. II. p. 460.

§. 13.

De doctrina: Λόγος σάρξ ἐγένετο, atque de Abaelardi summo principio logico.

Quod haec Abaelardi expositio non sufficit, praecipue inde fit, quod argumentum sententiae, deum summum bonum esse, desit, haec potius tanquam vera atque certa per se statuatur. Caussa hujus rei partim in eo posita esse videtur, quod haec pars ethicae brevissime tantum tractata sit, partim vero in eo, quod Philosophus noster, qui Platonem imprimis sequitur, id iterum demonstrare non necessarium esse putaverit, quod jam ille proposuerit atque demonstraverit. Platonica philosophia ejusdem spiritus, ejusdem λόγου revelatio est, qui est doctrinae christianismi, haec modo magis emendata [1]) et ad altiorem virtutis ac claritatis gradum perducta. Hoc verbis significatur: Λόγος σάρξ ἐγένετο. Itaque peculiaris christianismi virtus in cognitione consistit, redemptionis vis in imitatione moralis Christi vitae sive in amore [2]). Qua cum sententia arcte summum Abaelardi principium logicum cohaeret, intellectum fidem praecedere [3]), quod illo dicto probat: Qui cito credit,

1) Franck. Tüb. Zeitsch. f. Theol. 1840, 4. Z.: „Aehnlich wie die Alexandriner durch die Lehre von der universellen Wirksamkeit des λόγος das Christenthum seiner Individualität entkleideten".

2) Theol. chr. Thes. anecd. ed. Mart. et Dur. Lut. Par. MDCCXVII. p. 1308: „Moriendo quidem docuit, quando nos dilexerit atque in hoc ipso nobis usque ad mortem pro ipso certandi exemplum proposuit. — Frer. comm. cr. cf.

3) Goldhorn scribit „re accuratius spectata nil novi atque insoliti infuisse" in illo principio, quia fere omnes ante eum, „quae vera esse atque credenda censerent, argumentis confirmare aliisque persuadere conati sint"; et similiter Neander: „Es war damals ein schon vorhandenes rationales Streben in der Theologie (bei Augustin u. Anselm): sed tamen fidem ut talem argumentis confirmare, diversum est ab eo, quod fides

levis est corde [1]), quodque principio Augustini et Anselmi maxime contrarium est [2]).

II. De virtute.

§. 14.

De hujus notione ab Abaelardo in ethica non tractatur, quamvis maximi momenti summique ponderis sit. Tractat modo intentionem bonam eamque externis rebus opponit [3]), ostendere conatur, in ea modo, adeoque in ambitu subjecti bonum positum esse, neque vero in externis rebus, atque sic contra opinionem „operis operati“ acriter pugnat. Restat igitur, ut secundum Abaelardi principia „virtutis“ notionem, quae hypothesis est, proponamus.

Thesis.

Virtutem in consensu animi ad bonam intentionem consistere oportet.

Argumentatio.

Quum Abaelardus inter vitium et peccatum distinguat, statuendum est, eum inter bonum et virtutis conceptum

ut talis non accipitur, nisi ratione demonstratur. Hac tamen re Abaelardi doctrina ab illa Anselmi et Augustini vehementer discrepat, quemadmodum Franck quoque recte scripsit.

1) Eccles. sec. Vulg. XIX. v. 4.

2) Augustini principium: „ut fides praecedat intellectum“, quod invenitur: De lib. arb. T. I. p. 422; De civ. Dei T. IV, XI, 2; De ver. rel. c. 24; quodque Anselmus repetit: Cur D. h. I, 2: ortum erat ex versione falsa Jes. c. VII. v. 9. sec. text. masor.:

אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ׃

Hoc LXX. vertit:

Ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε·

et Vulgata:

Nisi credideritis, non intelligetis.

Cf. Neander et Frerichs.

3) Sicuti Aristoteles de virtute dicit: „Ἐν ψυχῇ δ'ἐστὶν

quoque distinguere; et cum peccati conceptus in consensu animi ad malam intentionem consistat, peccati autem notioni ab altera parte virtutis notio sit opposita: sequitur, virtutem in consensu animi ad bonam intentionem consistere.

Antithesis.

Virtus in bona intentione consistit.

Argumentatio.

Secundum prologum [1]) vitia virtutibus opposita sunt. Oppositum esse autem est: quam entis sphaeram hinc unum tenet, eandem illinc alterum tenere debet; vitium autem est intentio mala, ergo virtus intentio bona est.

Conclusio.

Harum verum propositionum, quarum utraque recta esse videtur, prior modo stare potest. Posterior recta esset, si propositio: „vitia virtutibus contraria esse“, quamquam Abaelardus eam proponit, recta esset. Sed in hoc dicto Abaelardus sibi non constat. Nam si virtus in bona intentione consistit, eam sine animi consensu esse oportet. Virtus autem meritum est et meritum esse non potest, nisi animi consensus accedit, ergo virtus quoque in animi consensu ad bonam intentionem consistit. Nam ea tantum re, quod in hoc consistat, praemio digna est, sicuti peccatum poena, quia in animi consensu ad malam intentionem consistit, atque peccatum puniri, virtutem autem remunerari Abaelardus vult.

C. De comparatione cum doctrina ecclesiastica.

§. 15.

Explicato virtutis conceptu jam ad comparationem cum doctrina ecclesiastica accedamus; sed hujus doctrinae

ἀρετή. L. c. Op. Arist. T. II: Magn. mor. l. I. p. 149. Lat. Paris. MDCXXIX. — Cf. Rém. Abél. T. II. p. 459.

1) Eth. p. 627.

Abaelardeae de summo bono et virtute singula non cum ecclesiastica doctrina singulatim comparare possumus, quia in hac hae res tam philosophice omnino non sint tractatae. Eruenda igitur ex dictis est quaestio: quaenam est notio redemptionis, quam Abaelardus secundum suam doctrinam statuit, et quae arctissime cum doctrina ejus de summo bono et de virtute cohaeret, et quaenam est illa, quam ecclesia de hac re sequitur? Quomodo hae inter se differunt?

Comparemus hoc loco Abaelardum cum Bernardo Claraevallensi. Exstat hujus liber inscriptus: „Tractatus de erroribus Petri Abaelardi [1])“, quem ad Innocentium II, papam, misit et in quo praeter alia de redemptione doctrinam praecipue insectatus est.

Sed ut librum singulatim celeriter percurramus et praeter id, quod ad nostrum consilium spectat, illa quoque cognoscamus, quae praeterea Bernardus Abaelardo objiciebat: primum principium Abaelardi logicum refellit, tum doctrinam de trinitate, de qua Abaelardus docuit, spiritum sanctum non esse potentiam, procedere quidem a patre filioque neque vero esse eandem substantiam, quamvis cum patre filioque consubstantialem, filium sese habere ad patrem, sicuti speciem ad genus, sicuti aereum sigillum ad aes, sicuti aliquam potentiam ad potentiam[2]) etc; patrem denique esse potentiam, filium sapientiam, spiritum sanctum benignitatem vel amorem [3]). Memoratu dignum est, quod Bernardus hanc trinitatis interpretationem insectatur, quae tamen ex

1) Bern. op. 1621. T. IV. p. 111. seq.

2) Otto Frising. „De reb. gest. Frid. I.“ c. 47; cf. Rém. T. I. p. 215 seq.

3) Theol. chr. ed. Mart. et Dur. T. 5: Thes. nov. anecd. p. 1163. — Neander: D. h. Bernh. „Die Dreieinigkeitslehre war ihm eine im Wesen begründete Idee“.

Augustini temporibus usque ad Anselmum [1]), Dante [2]) ceterosque usitatissima erat. Tum contra doctrinam de fide pugnat [3]), deinde contra comparationem spiritus sancti cum Platonis anima mundi [4]), porro contra doctrinam de redemptione vehementer invehitur [5]). Erat tum tempus [6]), quo haec doctrina Anselmi Cantuariensis libro: „Cur deus homo“? potissimum mutata erat, sed Bernardus adhuc antiquam de hac re doctrinam sequitur [7]). Anselmus novam loco antiquae doctrinam, postea nominatam „satisfactionis theoriam“, protulit [8]), quam utrum Abaelardus cognoverit necne incertum est [9]). Id autem constat, doctrinam Abaelardi de redemptione et ab Anselmi et a Bernardi doctrina valde diversam fuisse. Anselmus enim redemptionem in satisfactione pro raptu debiti deo honoris [10]), Bernardus eam in morte Christi [11]), Abaelardus autem in hominis amore et imitatione [12]) vitae Christi consistere docuit adeo-

1) Anselm. op. Coll. 1573: Monol. c. 65. T. III. p. 24.

2) Div. commed. Infern.

„Fece mi la divina potestate,
La summa sapienza e 'l primo amore“.

3) Bern. op. T. IV. p. 114.

4) Theol. christ. Thes. nov. an. ed. Mart. et Dur. T. V. p. 1338. — Fr. H. Rheinwald: Epit. th. chr. Berol 1825. p. 46. — Frerichs comm. th. cr. — Lewald de op. Ab. quae Cons. ed.

5) Tract. de err. P. Ab. cc. VIII. et IX, p. 115 et 117.

6) Neand. D. h. B.

7) Tract. de err. P. Ab. Op. Bern. T. IV. p. 115. — Rém. Ab. II. p. 412 sq.

8) Frerichs c. th. cr. — 9) Neander D. h. Bernh.

10) Ans. Cant. op. ed. Gerb. Lat. Par. 1721: „Cur. d. h.?“ p. 75 seqq. p. 79. I. c. XIII. et II. c. VI.

11) Opp. Bern. Col. 1621. T. III. Serm. LXI. p. 97. Tract. de pass. dom. T. IV. p. 127 et 128. Eodemque modo Augustinus, cf. opp. Aug. T. V. p 826. T. IV: Enarr. in ps. CXXII. p. 1398. in ps. CXXIX. p. 1453.

12) Ab. opp. ed. Ambros. Par. 1616. ib. comm. in ep. P. ad Rom. p. 550—553.

que non in objectivo actu, ut ecclesia docet, sed in subjectivo hominis. Hac quoque re Peripateticus Palatinus noster se philosophum magis fuisse quam theologum ostendit.

III. De Poenitentia.

A. Abaelardi expositio.

§. 16.

Brevius jam sequentes Abaelardeae ethicae partes disceptemus, quia ad philosophiam minoris momenti sunt, quam ad theologiam; attamen totius ambitus ethicae caussa, cujus criticam tractationem nobis proposuimus, hic considerandae sunt.

Incipit noster hanc partem a poenitentiae definitione [1]) et divisione in „fructuosam“, quae ex amore dei fit, et in infructuosam, quae e timore poenae procedit. Tum exempla addit et imprimis divitem avarum, qui rapinis injustas divitias suas collegit, rhetorice atque satyrice describit [2]). Deinde sacerdotum avaritiam graviter accusat, quorum exempla populus imitetur, variosque alios abusus acerbe vituperat [3]). Definitione fructuosae poenitentiae iterum repetita inter homines eos imprimis vituperat, qui in malis rebus agendis homines magis quam deum respiciunt [4]). Tertio verae poenitentiae definitione repetita doctrinam de reconciliatione tractat.

Tum c. XX: Si vera poenitentia adsit, hanc quoque semper plenam esse debere, neque talem, quam unius tantum rei poeniteat, alterius vero non; atque talem eam esse oportere, quia verus amor caussa ejus movens sit.

1) Eth. c. XVIII. — 2) ib. p. 664, 665. seq.

3) Neand. d. h. B. — 4) Eth. p. 668: „Utinam tanta propter deum, cui omnia debemus, quanta propter uxorem vel filios vel quamcunque meretricem facimus vel toleramus“!

Tum hoc atque sequenti capite objectiones varias affert et refutat.

Quo facto c. XXIV ad doctrinam de confessione transit, quam quidem necessariam esse dicit, sed vult, ut homines hominibus tantum confiteantur. Hac enim re contineri humilitatem, in qua jam partem satisfactionis inesse. Etiamsi vero in universum confessio necessaria sit, tamen certae res obstare possunt, quibus intermitti possit.

Tum satisfactionis definitione allata [1]), dum errorem praelatorum superius mitius judicavit, hoc loco in eorum cupiditatem nummorum acriter invehitur, ira impletus, quod nummis oblatis prodigi in relaxandis poenitentiis sint et id quidem specie caritatis [2]).

B. Commentatio critica.

§. 17.

Tres poenitentiae partes, in quas in posterioribus theologicis „Summis“ plerumque dividitur, in hac quoque nostra ethica inveniuntur, contritio scilicet, confessio et satisfactio, quamvis prima longius, altera brevius, tertia brevissime tantum tractetur, neque sic inter se externe distinctae sint, ut in „Summis“. Satisfactionis pars omnino fere deest, nam excepta definitione pauca modo de ea traduntur. Sed haec hactenus de externa divisione; quod autem ad indolem hujus de poenitentia doctrinae attinet, Abaelardus docet, amorem esse debere caussam motricem verae poenitentiae, et hoc principio mentem puriorem atque nobiliorem reddere studet. Usitatissima erat illo tempore alia poenitentiae caussa, timor poenae scilicet, in quam Abaelardus acriter invehitur. Solus fere noster est, qui hoc principium distincte et aperte renunciat atque defendit, quod cum ipsius vitae

1) Eth. p. 679. — 2) ib. p. 680.

rebus vel secundis vel adversis arcte cohaeret. Vita enim ejus nihil aliud erat, nisi animi ejus explanatio, et animus ejus in amore atque intelligentia nitebatur. Amore lapsus et infelix factus est, amorem poenitentiae principium statuit. Si verum est, timore animum captum teneri, amore autem vinculis liberari: Abaelardus principio suo spiritualis hominum libertatis propugnator exstitit [1]).

C. De comparatione cum doctrina ecclesiastica.

§. 18.

Jam Abaelardi definitionem poenitentiae cum illa ecclesiasticorum scriptorum comparemus.

Gratianus, qui eodem fere tempore floruit, poenitentiam definit secundum Ambrosium, Augustinum, vel incertum nomine Augustini auctorem, dolorem in definitione imprimis postulat [2]), ejus necessitatem probat [3]), de effectu et utilitate loquitur [4]), ut voluntaria, lacrymosa sit vult [5]), ut peccatum displiceat [6]) etc. Omnes hi loci dolorem quidem caussam vel signum verae poenitentiae esse debere ostendunt, sed genuinam doloris caussam, scilicet amorem, quem Abaelardus praecipue tractat, minime continent atque in hac re aevi illius naturam, externa petentem, videmus, nam et dolor atque lacrymae, de quibus Abaelardus Apollonii sententiam affert: „lacrymâ nihil citius aresccre", sine interiore caussa excitatrice, sine amore, externa tantum permanent.

Quo Gratianus, eodem modo Anselmus Cantuariensis

1) Poenitentiam sacramentum esse non certis verbis exprimit. Rémus.: „Il ne nie pas, mais il se tait".

2) Grat. decr. l. V. ed. Card. Joh. Turrecrem. Rom. 1727. Lib. I. P. IV. Tit. V. Rubric. I.

3) R. V. — 4) R. VI. — 5) ib. p. 286. — 6) p. 290.

quoque poenitentiam definierat, dolorem maxime efferens, amorem praetermittens [1]).

Mirum est, quod Bernardus Claraevallensis, qui amorem summis laudibus alibi extollit, in doctrina de poenitentia vel contritione amorem tanquam caussam moventem non tam distincte proferat, quam Abaelardus. Bernardus veram poenitentiam a labore et trjbulatione non abhorrere dicit [2]), dolorem postulat [3]), sensualiter atque poetice de „contritionis unguento" loquens [4]), quod in „mortariolo conscientiae intra aestuantis pectoris ollam omnia coquat igne poenitentiae et doloris etc", quo acerrimus dolor exprimitur. Alibi [5]) ejus sententia haud procul ab illa Abaelardi de hac re abesse videtur, etiamsi vero ibi amor suppleri debeat, tamen hunc non tam aperte et tam claris verbis exprimit, quam Abaelardus hoc in ethica sua fecit.

Inter omnes ecclesiasticos autores maxime de amore disceptat Thomas Aquinas in „Summa" theologica sua, dum contritionem „attritioni" opponit, quarum alteram alteri propterea oppositam esse ait, quia non „charitate formata" sit [6]). Thomas materiam et formam sacramenti poenitentiae distinguit [7]), tum poenitentiam, quae in appetitu sensitivo consistat et rectius passio nominetur [8]), ab ea, quae in voluntate contineatur virtusque sit, discernit atque duplex poenitentiae principium statuit: primum enim incitamentum timorem servilem, immediatum vero et proximum

1) Ans. Cant. opp ed. Gerb. 1721. p. 250. Or. VI; Exh. ad cont. temp. et des. aetern. p. 191.

2) Bern. op. Col. 1621. T. IV. p. 93.

3) ib. Tract. de int. dom c. XXI, T. V. p. 156. — Lib. ad Sor. de mod. ben. viv. c. XXVII. p. 336.

4) Serm X. de cant. cant. T. III. p. 12.

5) Serm. de S. Andr. Ad. T. V. p. 285.

6) Thom. Aquin. Summ. Suppl. III. qu. I. art. III.

7) Summ. P. III. qu. LXXXIV. p. 105. — 8) ib. p. 199.

principium timorem filialem esse dicit [1]). Contritionem „dolorem pro peccatis assumptum“ esse docet [2]).

Ex his igitur patet, caritatem quidem in contritione vel poenitentia efficacem esse, neque vero tantam vim in efficiendo ei concedi, quantam Abaelardus ei tribuerat.

In posteriori quoque hujus doctrinae historia a partibus Catholicorum nihil mutatum est. Quod attinet ad hoc, si canones ac decreta Concilii Tridentini consideramus: de hac re in sessione XIV. die XXV. Novembr. anno MDLI. sub pontificatu Julii III. est decretum ac propositum: „Contritio animi dolor est ac detestatio de peccato commisso cum proposito non iterum peccandi“ [3]). Tum de contritione „charitate perfecta“ agitur et de attritione ut „imperfecta contritione“, quae quidem e metu poenarum oriatur, hominem vero ad meliora „disponat“ [4]), similiter, ut vidimus, atque Thomas Aquinas de hac re scripserat.

Hos duos poenitentiae modos Abaelardus quoque discreverat, fructuosam scilicet et infructuosam, sed a doctrina ecclesiae eo differt, quod infructuosam poenitentiam, sive attritionem, quae postea vocatur, nihil valere dixerat.

IV. De potestate clavium.

A. Abaelardi explicatio.

§. 19.

Jam denique, quid de ultima ethicae suae parte, de potestate clavium, Abaelardus senserit, inquiramus.

1) Summ. qu. LXXX. V. art. V.
2) Suppl. III. qu. I. p. 3.
3) Can. ac decret. S. Conc. Trid. c. IV. — 4) ib. l. c.

Extremo capite [1]) quaestionem affert, utrum illa Christi verba, de quibus potestas clavium originem ducat: „Quorum remiseritis peccata, iis remittentur, et quorum retinueritis, retenta sunt“, ad personas tantum Apostolorum referenda sint, an ad omnes episcopos. Etenim cum permulti praelatorum et sacerdotum indigni sint, adhibitis Hieronymi, Origenis, Augustini et Gregorii sententiis, concludit, Christum illa verba ad personas tantum Apostolorum, sicuti alias quoque sententias: „Vos estis sal terrae“ etc. retulisse. Hieronymus citato loco dicit, episcopum modo scire, qui ligandus et qui solvendus sit [2]); Origenes dignos modo episcopos clavium potestatem habere docet [3]); Augustinus de virtute injustae alligationis episcopi dubitat [4]), Gregorius concedit, esse quidem indignos episcopos, qui potestate clavium non recte utantur [5]), et Africanum Concilium CCX. denique episcopos monet, ne temere quemquam communione privent [6]).

B. De comparatione cum doctrina ecclesiastica.

§. 20.

Primum Gratianus in decreto suo Augustinum affert, qui modo supra commemorato discernit [7]); tum vero Thomas

1) Eth. p. 681. c. XXVI. — 2) ib. p. 683. — 3) ib. p. 684.
4) ib. p. 685. — 5) ib. p. 685 et 686.
6) ib. p. 687. Rém. hoc concilium septimum Carthagine habitum esse dicit; praeterea: „Cet article est porté sous le nr. CXXXIII. au Code des canons de l'Eglise d'Afrique. Praeterea cf. S. Concilia. Venet. 1728. T. III. p. 460: „Caveat episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest“. Sed quaeritur, utrum hic ab Abaelardo citatus locus sit necne.
7) Decr. Grat. p. 318.

Aquinas [1]) atque Concilium Tridentinum in XIV. sessione sua [2]) potestatem clavium apud malos quoque sacerdotes omnino aliquid valere docent.

C. Commentatio critica.

§. 21.

Necesse erat, ecclesia Catholica sic, ut apud Thomam Aquinatem et in Tridentino vidimus, doceret, quia alioquin de ordine doctrina, ecclesiae columen, in periculum incurrere debebat. Non nostrum est, uberius hanc doctrinam hic inquirere; sufficit, quod ad nostrum finem spectat, cognosse, Abaelardum vehementer ab ecclesiastica doctrina discrepasse.

Videmus igitur, eum fere omnibus locis ethicae suae, in quo opere maxime est suus [3]), ab ecclesiae doctrina discrepasse; et haec abalienatio inde profecta est, quod rationis principium distincte atque aperte statuerit eique omnia in scriptis suis et theologicis et philosophicis, imprimis autem ethicam, subjecerit atque inde derivaverit.

Jam ad finem ethicae delati Peripateticum Palatinum ecclesiae doctrinae, sacramento ordinis, quod consequenter comprobare non potuit, oppositum cognovimus. Verumtamen si consequentiam ejus doctrinae cum fidei confessione, quam

1) Th. Aquin. Summ. Suppl. III. p. 25, 27: „Sacerdos malus, etsi gratia privetur, nullo tamen modo privatur usu clavium".

2) Can. et decr. S. Conc. Trid. Sess. XIV. c. VI. l. c.

3) Rém. Ab. II. p. 517: „Son éthique en (sc. rationalisme) est plus profondément empreinte, que sa théologie dogmatique; nous n'hésitons pas à la regarder comme son ouvrage le plus original".

ultimis vitae suae temporibus Heloissae misit, comparamus: tamen statuendum nobis est, Abaelardum non scientem ecclesiae oppositum fuisse [1]), immo potius putasse [2]), se ibi etiam, ubi aperte illam reliquerit, ei adhaerere atque cum ea consentire; atque in his rebus internum certamen cognoscere licet, quod inter rationem et fidem in eo exstiterit, quodque Neander in libro suo praecipue descripsit [3]). Propterea quoque non inter Reformatorum antecessores numerandus est [4]), quia illi conditionem suam, ecclesiae oppositam, clare sciebant eamque amplectebantur, Abaelardus vero minime. Haec interna discrepantia, quae in Abaelardea doctrina haud perfecte dissolvitur, spectat ad „credere et intelligere" [5]), „πίστιν et γνῶσιν", qui conceptus in scriptis Alexandrinorum, imprimis Clementis, inveniuntur [6]). Apud hos quoque πίστις minus perfectus

---

1) Neander: „Aeusserlich, wiewohl aufrichtig, nahm er die Lehre der Kirche auf". Apol. Abael.: „Scripsi forte aliqua per errorem, quae non oportuit; sed deum testem et judicem in animam meam invoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam aut superbiam praesumpsi" Pezius hoc loco adversus Mabillonii opinionem utitur. Pez. diss. is. p. XXI.

2) Recte Goldhorn: „De summ. princ. th. Ab." dicit: „licet cum ecclesia credendum esse, ecclesiae tamen credi noluit".

3) Cf. Franck, qui dicit: „Mit dem Gemüthe war er im Kirchenglauben, mit seinem Princip darüber hinaus".

4) Talem eum habet Frerichs: „fortis liberae mentis propugnator Reformatoribus, ut dicuntur, praeludens hierarchiae vincula detestatur". Sed recte Franck contra hanc opinionem disserit.

5) Inter „intelligere" et „cognoscere" Abaelardus discernit; cf. Neander D. h. B., et Frerichs: „Intelligere vitae terrestri, cognoscere vitae coelesti adscribit".

6) Consensionem quandam inter Abaelardum et Alexandrinos fuisse constat, quamquam Abaelardus de „haeresibus Origenis" loquitur. Cf. et Franck.

gradus, γνῶσις perfectior est; idem Abaelardus principio suo exprimit: „ut intellectus praecedat fidem“.

Sicuti igitur Abaelardus studio ubique veritatis investigandae multos nactus est inimicos, exempli caussa, speculationibus suis trinitatis doctrinae inquirendae, porro investigationibus suis secundum Bedam, quibus conditorem monasterii S. Dionysii, Parisiis siti, non illum Dionysium Areopagitam esse probavit [1]), praeterea aliis variis: ita etiam severitate morum eorumque disciplina sibi hostes acerrimos excitavit, quum munere abbatis Ruiensis monasterii S. Gildasii, in Armorica Britania siti, fungeretur [2]). Multae insidiae ei parabantur, ad caedem haud raro erat designatus; at vero potius calumnias atque persecutionem pati, quam cum malis consentire voluit. Quin immo hominum falsa et injusta judicia de se ipso respexit atque refellere studuit, ne bonam honestatis suae famam injuste perderet. Quum enim malitiosi rumores spargerentur, eum perverso consilio Paracleti sanctimoniales et abbatissam imprimis Heloissam adire [3]), ad repellendas hasce calumnias injustissimas eo proficisci desiit. Maxima vero viri sinceritas in eo consistit, ut, quamvis opinionibus sibi contrariis adhaereret, in vita sua tamen non a doctrina declinaverit, immo potius vita studium boni rectique, sicuti doctrina studium veri sequeretur. Dum hoc dicimus, eum non omnino vitiis liberum fuisse volumus, quum haec ipse in historia calamitatum suarum confiteatur [4]) et praecipue superbiam libidinemque fuisse affirmet [5]).

1) Ab. op. ed. Cousin. T. I. p. 24.

2) Hist. calam. Ab op. p. 29 seqq. — 3) ib. p. 31 seq.

4) „Historia calamitatum“ comparari potest cum „Confessionibus Augustini“. Hoc recte significat Rémusat.: p. 137.

5) Abael. op. ed. Cous. Par. 1849. I. p. 9: „quum iterum otus in superbia atque luxuria elaborarem“.

Quemadmodum denique sincerum amorem in republica literarum in doctrina de poenitentia, ut vidimus, ostendit, cujus fundamentum amorem esse censet: ita in vita quoque hunc amorem comprobavit, id quod historia calamitatum epistolaeque satis declarant. Benedictini imprimis uxorem ejus Heloissam ipsumque ob hanc rem insectati sunt variasque epistolarum sententias incusaverunt [1]): sed nobilis Heloissae natura ingeniumque omni hostili judicio superiora sunt, quae sane cursus temporis, etiamsi a detrectatione defendere non posset, tamen et oblivioni non tradidit; namque epistolis suis immortalitatem sibi paravit [2]). Secundum has in Heloissae animo certamen inter resignationem

1) Mart. et Durand. Thes. nov. anecd. Obs. praev. ad th. chr. p. 1141: „Quanta fuerit utriusque sanctitas ex eorum epistolis facile colligi potest. Certe quantum ad Heloissam pertinet, quis haec ejus verba ex epistola ad Abaelardum, decem post conversionem saltem annis scripta, non abominetur: „Etsi uxoris nomen sanctius ac validius videtur, dulcius mihi semper exstitit amicae vocabulum“ etc. — et alibi: „Deum testem invoco, si me Augustus, universo praesidens orbi, matrimonii honore dignaretur, totumque mihi mundum confirmaret possidendum, carius mihi et dignius videretur tua dici meretrix, quam illius imperatrix“. Hist. lit. de la France T. XII. p. 636: „Elle ajoute un trait d'extravagance trop indécent pour être traduit et trop inouï, pour n'être point rapporté: „Etsi uxoris nomen“. Cf. Ab. op. ed. Cous. ep. I. Hel. p. 75. Michelet: Hist. de Fr. T. II. de commemoratis Heloissae sententiis dicit esse eas testantes: „l'exaltation des sentiments“.

2) Cf. Ab. op. ed. Cousin. T. I. p. 13, 14, 15. Ep I. Hel. p. 74 et 75. ib. p. 77. Ep. II. Hel. p. 90: „Castam me praedicant, qui non deprehenderunt hypocritam. Religiosa hoc tempore judicor, in quo jam parva pars religionis non est hypocrisis; ubi ille maximis extollitur laudibus, qui humanum non offendit judicium“. Cf. Hist. lit. d. l. Fr. XII. p. 646. Chateaubriand: Gén. du chr. II, III, 5. Amboesius: Praef. apol. p. 256 et 257.

et desiderium erat obortum [1]), quod in Abaelardo erat solutum. Sed in locum hujusce illud, quod supra commemoravimus, inter „scire“ et „credere“ in eo permansit, eumque, ut vidimus, ab ecclesia abalienavit, cujus vestigia in doctrina restant, quamquam ipse post damnationem in Concilio apud Sennonas intercedente Petro Venerabili, Cluniacensi abbate, Bernardo reconciliabatur et sic in ecclesiae gremium redibat.

1) Hist. lit. de la Fr. XII: „Héloise n'était ni une libertine déterminée, ni une sainte, mais une personne à demi convertie, qui combattait à forces inégales contre des passions affermies par l'habitude et le tempérament; qui rougissait de ses défaites et souhaitait, quoiqu' imparfaitement, de remporter la victoire sur elle -même, qui gémissait dans ses chaines et faisait des efforts impuissans, pour les rompre.

et desiderium erat obortum [1]), quod in Abaelardo erat solutum. Sed in locum hujusce illud, quod supra commemoravimus, inter „scire“ et „credere“ in eo permansit, eumque, ut vidimus, ab ecclesia abalienavit, cujus vestigia in doctrina restant, quamquam ipse post damnationem in Concilio apud Sennonas intercedente Petro Venerabili, Cluniacensi abbate, Bernardo reconciliabatur et sic in ecclesiae gremium redibat.

1) Hist. lit. de la Fr. XII: „Héloise n'était ni une libertine déterminée, ni une sainte, mais une personne à demi convertie, qui combattait à forces inégales contre des passions affermies par l'habitude et le tempérament; qui rougissait de ses défaites et souhaitait, quoiqu' imparfaitement, de remporter la victoire sur elle -même, qui gémissait dans ses chaînes et faisait des efforts impuissans, pour les rompre.